

Hoc potentissime attrahit, & quod attractum est, dissipat. vel tale:

2. Olei costini 3 j.

olei de castorio, de euphorbio, an.

3 j. fl.

sinapis 3 ij.

sagapeni 3 j. fl.

castorii 3 j.

euphorbiu. 3 j.

aceti 3 j. fl.

cera q.s. ad emplastri consistentiam.

Tempus autem, quo parti adhærere debet, certo definiri non potest, propter diuersam partium temperiem. Relinquendum tamen, vsque dum pars rubescat; ita tamen, ut saepius pars inspiciatur, præsertim in paralyticis, qui sensum amisere, ne ob diuturniorem moram pars exulceretur aut aduratur. Quo vero facilius sinapismus operetur, partem fouere oportet spongiis, aqua calida madentibus, cataplasmate adhuc incumbente. Mox ubi cutis rubebit, auferre oportet, rosaceo pars illinenda, vel lana rosaceo imbuta, vel malua cocta & trita cum pane imponenda, donec nil mali ex sinapismo superfit.

Usus sinapismorum est, humores à centro ad superficiem prolicere, qui aliis vinci non potuerunt, ut in acutis morbis, nimirum lethargo, catuche; in initio quidem cruribus applicandum: ubi vero materia radices egerit, capiti. Sed & ad fluxiones inueteratas, hemicraniam, partes supra modum refrigeratas. Laudantur in paralyticis, ischiadicis, podagricis, contumaci splenis affetu,